









- a, b
1. Fenzel, Simon, Fredericus: De senatu civitatis
et in specie de consulibus at senatoribus. 1661.
 2. Fenzel, Simon Fredericus: De senatu civitatis et in
specie de iudice ac syndico. 1661.
 3. Fenzel, Simon Fredericus: De iuramentis obli-
torum at. homagio. 1661.
 4. Fenzel, Simon Fredericus: De poenarum iro-
gandarum ratione ex proportione arith-
metica. 1661.
 5. Hoffmann, Ferencius: De Tyrannica Tyrannia,
quam Frederico Menedorbo, Imperatori, intulit,
Alexander III. P. R. 1661.
 6. Horn, Johann Friedrich: De Successione Prin-
cipis. 1661.
 - 6 b ^{Hirshmaier}
7. Klingel, Christian: De privilegiis sepulchrorum.
1661.
 8. Leiser, Wilhelm: De officio circa tutelam et
curam imperfectae aetatis 1661.

9. Leiser, Wilhelm: De Prescriptione longissimi
Temporis 1661.
10. Lese, Fridericus: De Graecorum apud Athenien-
ses scholis insignioribus. 1661.
11. Meier, Georgius: De justitia universali:
1661.
12. Merger, Joachim: De contractu reali, mutuo.
1661.
13. Merger, Joachim: De actionis emphyteutica-
riae 1661.
14. Strauch, Aegidius: Exarchatus historia. 1661.
15. Strauch, Aegidius: De Computo Veterum Germa-
norum. 1661.
16. Strauss, Joh. Mich.: De summa potestate. 1661.
17. Ziegler, Karpar: De juribus majestatis exer-
citatibus VI., agens de jure erigendi Academias,
creandi Doctores. . . . 1661 & 1673.

18. Ziegler, Kaspar: *De officio praetorum*.
1661.
19. Koch, Dieterich: *De jure rerum receptarum*. 1662.
20. Koch, Dieterich: *De jure thesauri*. 1662.
21. Colerus, Phil. Alb.: *De sensibili horizonte*.
1662.
22. Frenzelius, Simon Frider.: *De penis nobilium
et bene meritorum, ex arithmetica proprie
sive statuendis*. 1662.
23. Frenzelius, Simon Frider.: *De aequalitate delictorum
et poenarum ex proportionibus arithmetica
et geometricarum*. 1662.
- 6a Kirchmaier
24. Klengel, Christian: *De Juribus Praediorum
Urbanorum et Rusticorum*. 1662.
25. Klengel, Christian: *De negligentia*. 1662.
26. Klengel, Christian: *De sponsalibus*. 1662.
27. Klengel, Christian: *Lex regia*. 1662.

- 28 Lederer, Michael: De ultimo juris et justitiae
fine. 1662.
- 29 Leiser, Wilhelmus: De jure subfeudi 1662.
- 30 Meier, Georg: De nomothoria seu potesta-
te legislatoria. 1662.
31. Nerges, Joachin: De lege commutativa. 1662.
- 32 Nerges, Joachin: De superioritate terri-
toriali 1662.
33. Nerges, Joachin: Tentamen generale legale.
Cen. et p. in ereptionem de morte seu jura
regenerationis. 1662.
34. Nerges, Joachin: De quibusdam juribus ac
privilegiis mulierum 1662.
35. Wendler, Michael: De extrema provocacione.
1662.
36. Zeyler, Karpus: De susitate. 1662.
37. Zeyler, Karpus: De Foro Privilegiato.
1662.

27/100
Dissertationum Politicarum *1661, a*
Prior,
DE SENATU CIVITATIS *24.*

Et in specie
de
CONSULIBUS
ac
SENATORIBUS,

Quam,
in ALMA LEUCOREA,
MODERANTE NUMINE,
Præsidente
Præ-Clarissimo
VIRO

DN. M. SIMONE FRIDERI-
CO FRENZELIO,

Cotbusiensi-Lusato, Favitore ac Amico
suo colendisimo:

Publicæ τῆς πολιτικῶν ἐργῶν διαλέξει discutiendam
exhibet

JOHANNES SIGISM. GERLACHIUS,

Dresdâ Misnicus,
Autor & Respondens.

Ad d. 18. Septembr. 1661.

horis matutinis in Auditorio Philosoph.

WITTEBERGÆ,
EX OFFICINA JOHANNIS HAKEN.
M DC LXI.



V I R O

*Reverendo maximè, Magnifico, Nobilissimo, Amplissimo
Excellentissimoq;*

DN. JACOBO VVELLERO,

à Moßdorff / Hæreditario in Karßdorff / S. S. Theol. D.
celeberrimo, de Ecclesiâ verè Christiana meritissi-
mo, Sereniss. ac Potentiss. Elect. Saxonix à Concioni-
bus aulicis primariis, Confessionibus sacris
itemq; consiliis Ecclesiasticis.

Patrono suo ac Mecænati submissè devenerando.

Ut &

Præcellenti, Per-Reverendo nec non

Præclarissimis

V I R I S

DN. M. JOHANNI BOHEMO,

C. P. Cæs. Philologo eminentissimo, ac Scholæ in Electorali
Dresdâ Rectori meritissimo, Præceptori olim suo fi-
delissimo.

DN. M. GEORGIO GERLACHIO,

Ecclesiæ Leubenicensis propè DRESDAM Pastori fidelissimo,
meritissimo, PARENTI suo honoratissimo.

DNN. Mecænatibus, Patronis, Promotoribus, Parentiq; suo
devotâ pietate, omniq; observantiæ cultu æviter-
nùm prosequendis.

*Hanc Dissertationem Politicam in grati animi σμβολον, ulterioris
promotionis ὀρμητήριον, debitæ observantiæ τεκμήριον.*

Prosperissima quæq; devotè apprecatus

sacram exhibet

JOHANNES SIGISMUNDUS GERLACHIUS

Dresdâ Misn.

Studiis sacris addictus.

FELICITER ! FELICITER !
 CAPUT I.
 DE DEFINITIONE SENATUS NO-
 MINALI.

§. I.



Ndivisa illa ac summa Majestas in amplissimas et si
 terrarum Regiones sese diffundat, non tamen usq;
 præsens adeò est, ut nutu suo permeet universa, &
 moderariq; sola valeat, quæ terrarum continet
 ambitus; suis potiùs stipata ministris, in latissimo
 imperii tractu dominatur, & certos civitatibus præficit Guber-
 natores, quosq; præesse muneribus constituit, velut ordinata
 instrumenta prolixioribus applicat Majestas Regni partibus, for-
 mam imitatura simplicissimam, quæ corporis licet moli in
 qualibet parte præsentissima sit, non uno tamen perinde mu-
 nere defungitur ubivis, sed, prout instrumenta actioni certæ de-
 stinata, accipit, ita suam virtutem prodit, & naturam illam nu-
 mero unam in multis benè officinis, & quasi corporis distra-
 ctibus, diversâ utut adessendi ratione, exhibet.

§. II. Civitas enim corpus quoddam est, ad corporis veri
 vivi q; modum. (Liceat [α] Plutarchi verbis semel allatum simi-
 le ad vivum refecare.) Caput omnium est Princeps, penes què
 imperii summa est. Oculi, quibus videmus, Viri in Republ.
 bonâ sunt, quorum ductum sequimur: Aures, quæ audiunt,
 quæ dicimus, sunt Subditi, qui imperata faciunt: Lingva,
 quâ loquimur, sunt eruditione præstantes viri, ex qui-
 bus leges & disciplinas audimus: Capilli de capite penduli,
 sunt injuriâ affecti, qui opem Regis implorant: manus brachia-
 que equites sunt, Nobilesque, qui hostem reprimunt: Pedes, qui
 omnia sustinent, sunt agricolæ, qui victum omnibus ordinib9
 subministrant: ossa dura, quæ carnem fulciunt fragilem, sunt
 viri sapientes, qui onus sustinent Reipubl: corda, quæ palàm
 non videmus, sunt familiares intimi, qui in arcano consilium
 dant Senatu: denique collum, quo capite corpus adhæret, est
 amor Regis Regnique, ex quibus Civitas constat. En partes non
 minus proprias Civitatis ac genuinas! en Instrumenta tantæ

(α) in li-
 bro de
 Doctr.
 Princip.
 ad Traja-
 num, re-
 ferente
 Guevar:
 in Horol.
 Princip. l.
 1. c. 36.

materiae convenientissima, tantae formae dignissima: en! consummatissimum denique Reipubl. corpus.

§. III. Enim verò Instrumenta, quorum ope in obsequiis muniis Majestas utitur, æq; latè patent, ac ipsa terrarum territoria. Hinc nec illa unius generis, sed quaedam nobiliora, aliis, ac excellentiora. Quod enim usu venire in naturalium corporum mole deprehendimus, ubi instrumenta dignioribus destinata partibus pluris, ac quæ communiore quâdam ratione agunt, variisque objiciuntur objectis, habentur: Idem evenit in actuoso maximè Majestatis moderamine; qui proximè Majestati accedunt, ejusque actûs ex æquo omnes, pacato tempore in commune consulendo dirigunt, aut cum capeffenda arma, sedendo quasi vincunt, juxta Catonem, [G] hi cæteris Megistanibus de facili præstant, cum fundamentum sint, in quo, tanquam immobili cardine, cæteri Magistratus mutabiles versantur. Unde Agamemnon, ut potiatur Trojâ (γ), non multos Ajaces, sed Nestores sibi optavit. Immò (δ) Palladio moto h. e. consiliorum acumine conturbato, Troja in potestatem hostium venit.

§. IV. Quo senatu sanctiori, ceu instrumentis necessariis, opus admodum habet Monarchia. Nō n. πανόπτης est Majestas, qualem [ε] Argum Regem Pelop. extitisse ferunt, & pauca ungu videt aliquis, pauca audit. Verum Principi oportet multas esse aures, multos oculos, quorum vices Senatus explet felicissimè. Aristocratia vel ex ipso tali constat Senatu; Democratia præcipitem vulgi furorem tarditate Senatûs hujus contemperat, Hujus enim proprium maximè est, decernere, & sententiam pronunciare justam, nec auxilio adeò, quam consilio juvare, nî aliud insuper iis injunctum munus sit, uti Tiberius, (ζ) postea Nero, (η) & Adrianus senatui tradiderunt judicia, quibus antea Senatus se superiorem putabat, testante Cicerone: [θ] aut Senatus de ipsâ insimul participet Majestate, ut Senatus Lacedæm. (ι) Hodieq; sacratissimum senatûs Collegium Principum in (κ) Germaniâ, & Senatorum in Poloniâ, de quibus Stanisl. Oriobov. (λ) quod sint potentia Regiæ & cæterorum libertatis moderatores ac custodes. Nulla itaque potestas vi senatûs iis accedere videtur. Cæterum è Magistratu ut plurimum is con-

Si tu-

[G] de re
Rusticâ.

[γ] Hom.
l. 2. Iliad.

[δ] Natalis
l. 4. Mythol. c. 5.

[ε] Eustath.
l. 2. Iliad.

[ζ] Tacit.
l. 1. Annal.

[η] Sueton.
in Neron.

[θ] in Verr.
[i] 2.

Polit. 7. 4.

[κ] Lupold
de Jur.

Imper.
[λ] in O-

stituitur Senatus, uti apud (μ) Polonos non facile Senator quis, nisi Magistratus, & apud (ν) Turcas, nisi Bassa, aut præfectus Provincia, aut Cadelescherus, quum (ξ) Magistratus virum indicet, Ordineq; senatorio dignum judicet.

§. V. Et hæc senatum definiendi ratio frequens non minus ac solennis est Politicis, ut Arniseo, (σ) *Excellent. Dn. D. Wendlero* (ω) aliisq; scriptoribus: cui tamen in præsentia non adeo insistim, quin potius inhæreamus communi loquendi modo, Senatum per Magistratum quendam urbanum interpretanti, quæque acceptio non nova subinde, aut inusitata, sed vel ex ipsâ Romanâ Politia enata videtur, cujus Politiam omnibus aliarum gentium Rebuspub., Lacedæmoniorum imprimis, antepone, non veretur *Polybius* (ρ) inter Rerum Romanarum scriptores non postremus. De cujus formâ, & mutatione iteratâ consulatur *Rosinus* (σ) quum nostrum non sit in præsentia prolixius hæc diducere, sed id exponendum duximus unicè, Senatū denotare Magistratum, qui curam gerat civitatis. Et quanquam Senatū Romani longè diversa sit ratio, ac illius, cujus nos indolem delineandam intendimus, (summâ enim functus iste est potestate non semel) non à nostro tn. foro in totū aliena est, quin ita conveniens, ut nomen haud tm. huic largiatur, sed in reliquis pariter momentis jam enodandis multum afferat lucis, nec parum totam rem illustret.

CAPIT II.

DE DEFINITIONE SENATUS REALI.

§. I. Is itaque in præsentia nobis definiendus Senatus, qui summæ subicitur Potestati. Tanta verò Magistratum in diversis Rebuspub. est latitudo, quanta una communi Definitione comprehendi, inque ideam cogi vix potest: hinc *Aristoteles* (τ) difficultate rei adductus, per partes Magistratum ivit, & a libi eum describit, quod sit præfectus societatis civilis, cui data est consilii publici, Judiciiq; ac Imperii potestas, id quod *Boding* (ν) In *Aristotele* reprehendit, distributivè, non collectivè definitionem hanc esse accipiendam contendens, maximè tamen proprium esse Magistratū τ $\beta\eta\tau\alpha\tau\tau\alpha\upsilon$, asserens. Ut autem quomocunque exprimamus rem, amplissimamq; illam talis

rar. d. ll.
Polon. ad
Proc.

[μ] l. 1.

Stat. c. 3.

a. 1.

(ν) *Menav.*
de offic.

Turc.

(ξ) *Bias*
ap. Arist.

l. 5. *Eth. c. 1.*

& *Tacit. l.*

1. *Hist. de*
Galba.

[σ] *In O-*
per. Polit.

c. 14. p. 140

& 141.

[ω] *in Po-*
lit. c. 4. p.

mibi 412.

(ρ) l. 6.

(σ) l. 7.

Antiquit.

Rom. c. 1.

T. l. Dec. 1.

(τ) l. 4.

Polit. c. 15.

(ν) l. 3. *de*

Rep. c. 2.

Senatus indolem contrahamus, hanc ejus damus descriptionem: SENATUS CIVITATIS EST MAGISTRATUS ORDINARIUS A MAJESTATE CONSTITUTUS, AD RES CIVITATIS GERENDAS AC CONSERVANDAS.

§. 2. *Senatus à Senibus* suam dubio procul denominationem sortita est. Unde illud Ovidianum:

A Senibus nomen mite Senatus habet.

Augustum n. illud, summumq; orbis terræ Consilium è Senioribus constabat, in quibus maturitas consilii, benè adulta ratio, prudens & cauta sententiæ dictio: apud Lacedæmones æq; in amplissimo qui erant Magistratu, γέγοντες Senes & Magistratus ipse seu Curia juxta Romulum γέγοντες h.e. Senatus dicebantur. Utrum a. [edisserit alicubi *Franciscus Hotomannus*] propter senectutem eorum, qui cooptati fuerant, an propter virtutem nomen illud Senatus repererit, non habeo certum, quod dicam, quippe prisca homines solebant eos, qui natu grandes, & boni viri essent, γέγοντας i.e. Senes appellare: qui verò in eo consilio erant, Patres vocati conscripti sunt, & usq; adhuc eam appellationem retinuerunt. *Plutarchus* in *Romulo* huic sententiæ, ut veræ subscribit, & *Cicero* in *Catone* ita scribit: Nec enim excursionem, nec saltu, nec eminus hastis uteretur (de *Sene Scipione* loquitur:) sed consilio, ratione, sententiâ: quæ, nisi essent in senibus, non summum consilium Majores nostri appellassent Senatum. Quæ etsi de Consiliariis interpretanda æque veniant, natalia tamen vocis evolvunt clarius, & præclara quæq; de nostro præfagiunt Senatu.

§. 3. Notandum insuper probè, civitatem accipi vel pro societate quâdam Liberos & similia in aliquâ Republicâ, sive jam intrâ urbem, seu extra degant, sive cohabitent, sive locis aliquâtis per distingvantur, uti 3. Pol. 3. vel pro societate liberorû & similia eandem in aliquâ urbe sedem occupantiû, Vid: Excell. Dn. D. Wendelerus (φ) Cellarius; (χ) posteriorè in præseti indigitamento significationem. *Generis* vices subit *Magistrato*, hoc n. latitudine suâ cæteros præfectorum classes pervagatur, & commune aliis quâ superioribus, quâ inferioribus Majestatis vicariis est: quid? quod

(φ) sect. 1.
c. 2. §. 7.
pract:
Philos.
(χ) l. 1. c. 6
§. 12. polit

quod & suam naturam communicet Definito, una cum nomine; quum Senatus potestate gaudeat ex lege imperandi, ejusque cura prima sit, civitati bene prospicere, ita verò aliàs Magistratus describitur. *Differentia* depromitur primò ab ordine; ordinarius enim Magistratus est Senatus, quo distinguitur à cæteris, quævis æque potestas, at extra ordinem, ut Curatoribus, est concessa, Senatus verò ordinariâ pollet potestate, ejusque officium Reipub. adeò necessarium est, ut careere eo minimè queat Majestas. *Dein à causâ efficiente.*

Constitutus namque est à summâ Majestate, quæ suos constituit Vicarios, cum ipsa non ubique præsens esse & lustrare omnia oculis valeat. *ἀνευ ἀρχόντων ἀδύνατον εἶναι*

πόλιν, (ψ) Philosophus fatur: denique; *ab objecto, Officioque*, ut (ψ) l. 4. Pub. 6. 4. gerat Senatus Civitatis res, voce rei latè sumtâ, cum Senatus nō tantum circa res propriè dictas, sed & circa personas, actiones & mores occupatus sit. Arduum verò atque difficile, varios adeò actûs & diversa objecta cogere velle, suisque cancellis circumscribere.

§. 4. Primarium tamen facilè munus Senatûs erit, ex lege potestatem in Cives exserere, & toti adeò salutis Civitatis prospicere. Ampliata apud nonnullos est potestas, apud alios contracta, diminutaque: quæ urbes amplitudine nobilitateque præstant cæteris, vel singulare quippiam meriti contulerunt in Majestatem, libertate donantur eximiâ, ut de particulis Majestatis participare videantur; hinc excellenti quâdam prærogativâ jure cudendi Monetam, & quæ alia privilegia sunt, gaudent: quæ salva ut retineantur, augeanturque indies, summa ope est contendedum. Econtrario exiliora loca, minori donantur potestate, aut si quod flagitij in Majestatem commiserint, probrosa eis injunguntur signa, sive ad certum tempus, sive ad dies vitæ. Nec minor cura adhibenda in locupletando ærario, quo tanquam nervo rerum gerendarum administrare feliciter possint munia, necessitati Principis succurrere, Salaria justa exsolvere, sublevare pauperes, & bonos præmijs beare, ædificiaque publica, quæ Sacra, quæ prophana, restaurare, unde olim Ædiles dicti. Tandem potissimi muneris pars Justitia est, quæ à Se-

natu

natu exercenda strenuè, potissimum à iudice, si adsit, de quo
infra fusius.

CAPUT III.

DE DIVERSIS SENATUS PARTIBUS.

§. 1. Emergunt verò multivaria illa Senatûs objecta ex de-
nominatione personarum, quarum principes & maximè necessa-
riæ *Consules* sunt, ac *Senatores*, his quibusdam in locis adjungun-
tur *Syndicus*, *Iudex* ac *Camerarij*, de singulis fusius.

(*) Varronem
l. de Vit.
Pop. Rom.
ap. Non.

§. 2. *Consules à Consulendo*, eò quod Senatui consulerent;
vel secundum *Varronem*, (*) quòd consulere populum & Senaû
debet, vel quod ab aliis consulerentur, dici ex *Sexto Pompejo*,
Justiniani Imperatoris Novellis, *Cicerone* ac *Varrone* oppidò li-
quet. *Florus* vocatos *Consules* dicit, quod meminisse debe-
rent, consulere se Civibus. *Fabius*: fitnè Consul à consulendo,
an à Judicando, nam & hoc consulere Veteres vocavêre.
Atque obiter notandum, quod qui hæc duntaxat secundum ver-
ba, & non potius secundum rei significationem accipiunt, ii to-
to errant cœlo. Non enim à consulendo nominatus est Con-
sul, quia derivatur à verbo *consulo*: Sed quod ab ipso Consule
exerceatur *Consultatio* h. e. res, quam significat verbum, quod ab
ipso derivatur *Consule*, *consulo*: Græci non ad eò *Κυβέλλης*
sive *Κεβέλλης* (hoc enim *Consultatoribus* magis conveniens)
sed *ἄδδς* à potestatis præcellentiâ *Consules* dixêre; nec abs-
re, quum summâ aliàs rerum potiantur in civitate, majorique
ac cæteri in Senatu polleant auctoritate.

§. 3. Quamquam enim communis potestas Senatorum
sit, *Consules* tamen ut capita corporis totius eminere videntur
& potestate prævalere, in Senatu congregando, votis ferendis,
rebus dijudicandis, quæque alia rerum civilium sunt. Ternari-
us numerus ut plurimum in Personis Consulium observatur,
quorum unus Civitatis momenta administrat uno anno, hoc
elapso, certo quodam die constituto, alteri fasces regiminis tra-
duntur. Cavendum etenim maximè est, ne diuturnitate im-
perandi potentia crescat nimium, potissimum in Democratiâ,
vel ubi *Majestas* penes Senatum est; Animus enim ad proprias
magis,

magis, quam ad publicas adsurgit partes, & commune quoniam
malum mortalium est, ut majori usque fervore propriae, ac alio-
rum insurgant salutem. Quare Athenienses ostracismo potentio-
res & autoritate praestantes ejicere Cives solebant, *Aristot.* non
adeo improbantur.

§. 4. Praeclara potius Romani Senatûs vestigia premen-
da proponuntur, quorum si respicimus secula, ac per aetates
singulas ad ultimam ire licet originem dignitatis Consulâris,
monumenta Veterum edisserunt, Regum imperio per Junium
Bruti & sociorum ipsius Tarquini, Collatini, Spurii Lucretii,
Valeriique, qui Poplicola postea dictus, operam, Romam ejecto, Pa-
trum ac universi adeo populi suffragiis, supremam illam pote-
statem duobus commissam deinceps, idque ad anni modo spa-
cium, quos tum Praetores, cum nomen Praetorum nondum erat
distinctum à Consulibus, appellatos fuisse, accepimus, vel ideo
quod summæ praesent rei, vel quod Populo praerent. Raro
verò apud hos dignitas hæc bis aut ter in unum conferebatur,
rarius quater aut quinque, nisi quod Mario contigit soli, qui
septies Consulatum gessit, quique propter imminens ex bello
Cymbrico periculum, sequente anno post denuo Consul factus,
quod aliis non facile evenisse tradit, *Res. sinus.* (a)

§. 5. Et cum haud parum faciat ad rem, praeficere Mo-
deratores, quorum aetas non imbecillis admodum tenerave, nec
ingravescentes nimium, infantiaeque primae proxima: Illi enim
datum nondum est, accuratiora capessere consilia, huic ani-
mus jamdudum impotens est, ad tantas partes subeundas, ac fra-
ctus: Confirmati judicii, & diurnam maximarum rerum tracta-
tione subactos, Consules maxime esse oportet. Immo, ut uno ef-
feram verbo, justam aetate, ingenio, Judicii que acrimonia vige-
ant; quam in rem denuo nobis trahendus est in exemplum Se-
natus Romanus, ubi nemo facile tantis admovebatur partibus,
nisi quadragesimum secundum aetatis annum attigisset: Ea vide-
licet aetate ad hanc provinciam accedebat, ubi Natura attem-
perata, sibi integra, & secum quasi consistens erat. Per inferio-
res itaque gradus quaesturam, Aedilitatem, praetoramque antea ge-
stam ad Consularem adscendebant dignitatem Romani, si ordi-

B

nem

(a)

l. 7. Antiq.

Rom. c. 9.

p. 283.

nem spectes, alioquin extra eum ante legitimum quoq; tempus
Marcus Valer. Corvinus, Tit. Flaminius, Scipio & Pompe-
jus honoris præmiiq; causâ creati Consules sunt, quoniam Vir-
tus excellens ætatem, quæ desiderabatur in iis, suppleverat abun-
dè.

CAPUT IV.

De Consulibus, Senatorumque Virtutibus ne-
cessariis.

§. I. Brevisimæ ducendæ restant lineolæ de dotibus exi-
miis, quæ Consularem non minus ac Senatorium ordinem ma-
ximè illustrare, summeq; reddere conspicuum valent. In Consu-
libus præluceant virtutes ex æquo omnes, ut habeant, quod i-
mitentur cæteri, & Consul, quò abundarit pluribus virtutum
speciebus, hòc consummatior illustriorq; futurus est. Primum
tamen ac summum in quolibet Senatorum sit, ut Virum pium,
probumque exhibeat. Imbecillior est natura humana, quam ut
egregii aliquid frugiferumq; quâ privatim, quâ publicè conari
saltem, nedum efficere valeat ab se, nî intervenerit Deus, ac vi-
res opesque adspiret haud tantum, sed & consilia suggerat, &
vias velut aperiat, quâ sit eundum. Nam neque verum nec justum
patebit ulli, cujus non mentem ante irradiarit Numen propiti-
um, ac luce suâ collustrarit. Proxima probitatis sive Justitiæ ipsæ
cura sit, lateat n. in curiâ Justitia, nisi loquatur per Consulem, Se-
natoresque: hanc comitetur severitas, ita tamen temperata,
ut gravitas adsit, nullâ austeritate corrupta; exasperat enim ho-
mines imperata correctio, blandissimè jubetur exemplo. Ut ta-
ceam de veritate, tēperantiâ, fortitudine, liberalitate, mansve-
tutine, deq; assiduâ curâ studioq; in tractandis rebus publicis, in-
genti doctrinæ modo ac solidâ peritiâ cæterisque dotibus, quæ
quasi conjurata in Senatu splendeant; sic enim non felix cona-
tibus deerit successus, sed beata maximè Respub: prædicanda,
quæ tales habet prædecessores, quos subditi imitandos in omni-
bus habent.

(b)
In præfat.
sui oper.

§. 2. In Exemplum trahenda nobis Roma, cujus felici-
tas exoptanda civitati, de quâ Livius (b) graviter: *Ceterum aut me
amor suscepti negot. i fallit: aut nulla unquam Resp. nec major, nec*
Jan-

sanctior, nec bonis exemplis ditior fuit, nec in quam tam serò avaritia luxuriaque immigraverint, nec ubi tantus ac tam diu paupertati & parsimonia honos fuerit. Nec falleris, si addas prudentiam, sobrietatem, continentiam, mansuetudinem, religionem, Justitiamque, imò virtutes omnes, cum nullam prætermiserit harum, in quâ populus excellere non allaboraverit. Quid Deorum reverentius Numâ Pompilio Metelloque? Quid frugalius Curiis, Fabriciis? Quid justius Brutis, Torqvatis? Quid Fortius Scævulis, Coclitibus, Curtijs, Decijs, Prudentius Catonibus Lælijs? Castius Lucretijs, Vestalibus? de quibus ipse Romanae Eloquentiæ princeps testatur: *Illæ quæ nostri natura non assecuti literis sunt, neq; cum Græcis neq; ullâ cum gente sunt conferenda. Quæ n. tanta gravitas, quæ constantia tanta, magnitudo animi, probitas, fides? quæ tam excellens in omni genere virtus in ullis fuit, ut sit cum Majoribus nostris comparanda?* Utinam verò nostra Germania cum his comparanda fiet, vel virtute eos superet felicissimè! Cætera quæ sunt requisita, accidentia, diversiq; respectus, sequentia exhibent *Ἐπιμύησις*, quorum

I. An omnes omninò ad ordinem Senatorium admittendi, vel quinam ab eo excludendi sint?

Antequam certi aliquid de præsentis Problemate definiamus, operæ precium est, diversos personarum respectus evolvere prius, & post in sententiam quandam ire. Sunt verò personæ illæ vel respectu Patriæ, vel ratione *prosapia, famæq;*, vel *literarum*, vel *facultatum* vel *ætatis* considerandæ, attendendæ. Singula momenta sua habent pondera, quorum primum Patriam evolvit. *An indigenæ potius, an peregrini in Senatores eligendi sint?* Plurimorum optimorumque Politicorum sententia indigenas magis ac peregrinos selegit, primò *ob insitum Patriæ affectum*, qui tam altas in animis usq; agit radices, ut unicè salutem ejus ut plurimum intendant; peregrini verò tanto affectu in civitatem quâdam non ferantur. Quid? quod maximè longeq; sint faciliores pronioresq; ad obtemperandum concives, quam si à peregrinis res agatur, nec peregrinis subditorum ingenia nota adeò sint, perinde ac mores, ut indigenis, hinc Cicero: caput Reip. est perspicuos habere civium mores, quâ in re probus laudatur imperator,

(c)
Deut. 17. v.
15.

(d)
Exod. 23.
v. 33.

(e)
Strab. l. 4.
Geogr.

(d)
Arist. l. 5.
Polit. 3.

(e)
Bodin : |
de Rep. 6.
c. 5.

(f)
Jun. quest.
polit. p. 27.

quod omnium quibus imperaturus erat, hominum mors praeviderat. 2. ob Scripturae S. consiliū, cum DEUS in Politiā Israeliticā hanc tulerit regē: (c) Non poteris alterius gentis hominē Magistratū facere, qui nō sit frater tuus, & alio in loco: (d) de omni Israelitarū terrā peregrinos voluit exterminatos, cujus rei habuit causā, ne populus à peregrinis seducatur, inq; peccata rapiatur 3. ob aliorū populorū Exempla: Apud Massilienses, qui laudē aequitatis legū habuere, nemo τὸν ἕτερον & c. creatus fuit, nisi qui liberos haberet, & de civiū sāgvine tertiā per generationē ortus sit (e). Inter leges, in quas Belgarū Principes jurare solent populo, haec habetur: Nullū peregrinū aut exterū publicis muneribus praeficiunto. Ut taceā incommoda ad Civitatē redundantia ex senatu tali, cū fructū civitatis devorent, Remp. turbent, & seditiones nonnunquam excitent, ut Achæi Trazenios, Thuri Sibaritas, Samii Zancheos, Chalcidenses Amphipolitas ejecerunt. (d) Quae in contrarium afferunt argumenta, peregrinos sc. majorem non rarò in civitate obtinere auctoritatem, quam Indigenas; minus enim in Patriā homines, quàm apud exteros honorari, multa inde exurgere incommoda, lites contentionesq; graves, populum in factiones distrahi, mutuisq; rapinis ac cædibus divelli Rempub. posse facillè, (e) nonnullis confici distinctionibus possunt: Si alienigenæ jura Religionemque cum Indigenis habent communem, nec in totum excludendi sunt, ut factum in Galliā ex constitutione Philippi Pulchri Regis, & Caroli V. ubi aequè alienigenæ praefecti civibus sunt, ne si cives praessent civibus, vel nimiam indulgentiā parcerent illis, vel veteri quodam odio praeter modum in eos favirent. (f)

Alterum momentum de ipsā prosapia personarum agit, ubi parili modo Nobiles genere vel Virtute, vel genere & virtute simul (quod praestantissimum est) ad hunc ordinem admittimus. Nec difficultatis quicquam subest, nisi sequens ζήτησις subjungamus:

II. Num ille, qui non ex legitimo Matrimonio justisq; procreatus Parentibus est, in Senatum recipiendus? Quod negandum maxime statuunt non pauci, toti enim Civitati non parvæ cedit turpitudini, si Spurius illegitimusque huic praeficiatur officio, quippe

pe

pe qui nihil aliud est, quam vivum quoddam paternæ turpitudinis testimonium, ac opprobriū patriæ perpetuum. Quib9 cū facit *Arist.* [g] inquit: Quū talis admittitur, libidinū quasi accenditur fax: Magistratus infamiā maculāque insigni notatur, cum tales ad subsellia, consilia, ac honores admittuntur. Quid? Quod animi spiritum genus subditivum deprimit & adulterinum, omniaq; timidè ac demissè talis gerit, ut *Plutarchus* edisserit. Non desunt tamen ex adversā parte, qui contrarium tuerentur ex eo, quia spurius ob singularem felicitatem, Virtutisq; ardorem multis legitimis nonnunquam melior, & ob suam peritiam non minus ac alius quippiam prodesse possit, cum etiam genus nihil ad hoc conferat, sed sapientia prudentiaque usu & experientiā acquisita requiratur; & deniq; calamitas matris patrisq; non debeat nocere ei, qui sub utero est, nec ejus impedienda dignitas, qui nihil admisit. Non omnis proin ad honores præcludenda via spurio, virtute maximè excellenti & ideò legitimo, sed & huic suum tribuendū, & virtuti honos: quare multi illegitimè nati ad summū Pontificis culmen pervenere [h], quū virtutibus propriis maculam nativitatis absterferunt. At quandoquidem hodiè ex communi quādam omnium ferè gentium opinione maculā spurii notati sint, non temerè ad publicas admittuntur dignitates, tum ut vago concubitus reddatur civibus magis odiosus, tum etiam, quia qui nec gentē, nec familiam nec patrem habere censetur, pro integrā & legali personā haberi non potest, censente *Bach.*

(g)
Polit. 4. c.
6.

(h)
in. d. dist.
cap. 12.

III. Tertium momentum hoc parit quæstionis, *num Senatus ex literatis potius, an ex illiteratis consistere debeat?* Mediæ hinc insistendum viæ, nec in partes literatorum declinandum nimium, nec in illiteratorum deflectendum unice. Sunt, qui eum tantum Civitati benè præesse asserunt, qui ingentem doctrine eruditionisque thesaurū sibi acquisivit, cum ab ignaro legum administratio Justitiæ fieri nequeat. Unde Romani olim Principi suo in senatu, **QUIS, acclamârunt, MELIUS QUAM LITERATUS IMPERAT!** Ladislaus Ungariæ ac Bohemiæ Rex, quamvis adhuc puer cū esset Romæ non videri sibi, aiebat, homines, qui literas ignorarent, imperarentq;. Nec abs re, cum literati antiquo-

[i]
Lib. 2.
Rhet.

ti quorum scripta exempla que habeant perspecta, modumque ex
iis eruere valeant, bonum publicum rite feliciterque administrandi.
Etenim quam ratione poterit, inquit *B. D. Jacob. Martini* (*in Illu-
str. Quest. suis Cent. 1. Diss. 4.*) Reipub. præesse is, qui non insignem
earundem habet cognitionem, num unquam quis aut in dicendo, aut in
rebus gerendis excellit, quin prius in Philosophorum officinam fuerit
politus atque limatus. Imò studio Philosophiæ homines ad prudentiam a-
criores fiunt, dicente *Arist.* [i] Philosophia Theoretica ingenium hominis
acuit, animumque ad consilia saniora capienda disponit; practica vero
applicat rebus, quæ, num in Senatore magis necessaria, utiliorque illa, quis
ambigit? Multum itaque talis promittit utilitatis civitati, at majus, qui
jura intelligit probe, bonumque publicum munire legibus valet. Mini-
mè tamen in totum illiterati ab hoc ordine excludendi, sed plerumque cum
illis conjungendi, cum major felicitas diuturniorque salus ex hac copula
Civitati succrescat. Quæ enim consilia à plebe alioquin capiuntur, fi-
dentiori animo suis concivibus conceduntur, puta Senatoribus, qui &
rei momentum exponere rite, ac decidere feliciter possunt. Sapiens enim
periclitatur Mercatorum, aliorumve Mechanicorum salus, quod de facili
declinare haud potis est, qui statum, rationem, fortunam, incrementaque
eorum ignorant v. g. in æstimandis mercibus, *Wie hoch zu der und-
er Zeit diese oder jene Waare soll angeschlagen werden. Item. Wie
man den Nothleidenden und Panquetrenden sùglich kenne helffe.*
Eadem ratione, si ad alia progredi liceret; *wie hoch die Accisen zu
dieser oder jener Zeit auf Fleisch und andere Waaren anzuschlagen
seyn* Optimè itaque consilium quilibet senatorum de proprio vivendi gene-
re capiet. Quam de re & Plato sapienter eos, qui mercatores inter cives
numerare noluerunt, monuit, Remp. non debere constare ex Medico
& Medico, h. e. ex uno vitæ genere, sed ex Medico, Mercatore, Opifice.
Summa tamen totius negotii eò refertur, ut ubique loci, temporis aliarque
circumstantiæ evolvantur; ceu n. non quælibet Resp. quamlibet assu-
mit formam: ita nec unius generis Senatores in quavis existere urbe
possunt. Justum maximè temperamentum est felicitatis civilis argumen-
tum, ac æqualis quæque mixtura constantem parit concordiam. Expe-
rientia rerum magistra demonstrat clarissimè rem, ac ut exempla, com-
memoranda nobis sunt urbes clarissimæ URATISLAVIA, WITTEBER-
GA celeberrima Urbis ELECTORALIS, aliarque benè plures.

[k]
Gell. l. 16.
[l]
Arist. l. 2.
Polit. c. 7.

IV. Quartum momentum diversam sortem, facultatesque exhibet
inquirendo: *Num satius sit, divites an pauperes in Senatum recipere?*
Quidam abblandiuntur divitibus mirum in modum, rationibus his
moti: Primum, quia res ac pecunia obsidis pignorisque loco est apud
Remp. amorisque in Patriam: (k) Fides in hæc ipsa & fundamentum olim
erat. (l) Præterea divites rerum experientia instructi melius sunt, ac pau-
pe-

peres, cum non usq; domi ut pauperes delitescant, sed in lucem prodeant. Accedit, quod in Senatu non amor tantum Subditorum, sed perinde ac parentia requiratur, ut in bonum publicum non consulere modò, sed & magnificentius gerere sese Senatores possint. Id quod Magnates responderunt Aureliano recens Imperatori, imperandum fore AURO ET FERRO, ut illo apud amicos, hoc contra hostes utatur. Quare & apud Romanos institutum fuit, ut census daretur in Magistratu, qui splendorem ordinis amplissimi rei familiaris periclitantem illustraret, pronunciantem *Sigon.* Imò ante August. Census Senatoris fuit sestertiùm octingenta millia, qui post fuit auctus. Quin etiam, si Senatorum quispiam labefactarit censu, ordinem simul amiserit. (m) E. contrario pauperes in totum proscribere conantur, cum destituti remediis, facile pereant, nec quicquam egregii ab iis expectandum, quèis domi angusta res; Recta etenim, non depressa, libera, non curis distracta Remp. poscere ingenia, quam ob causam paupertatem magnum Reip. morbum, vocavit *Plutarchus*, (n) & *Ovidius* canit:

Curia pauperibus clausa est, dat census honores,

Inde gravis iudex: Inde severus eques.

Quid? quod Carthaginenses non fieri posse putaverint, què egeus senatum, seu Magistratum benè gerat. At his respondemus:

Non rarò est olitor valde opportuna locutus.

Summa in occulta latent ingenia. Non itaque pauperes ex ordine hoc eliminandi ordine omnes, cum in electione non sordida ars, sed mens honesta, non facultas diminuta, sed virtus splendida, non adjuncta fortuna variabilis, sed ornamenta constantis animi spectanda sient. Paupertas non rarò bonæ mentis soror; hinc & ex humili casu altissima & Reip. maximè profutura adscendunt ingenia. *Piaustus Pol.* tenuissima sortis ad Principatum *Poloniae* euectus, laudabiliter Imperium tenuit, ac ampliavit, ut taceam divitias abundantes mortalium mentes sæpius extollere nimium, & ad injuriam civium pronas reddere. Unde vel ipsa eversio civitatis oriri potest aut dissensio ad minimu. (o) Quorsum itaque attinet, aut divitias in primâ felicitatis parte, aut paupertatem in ultimo miseriarum statu ponere?

V. Quintum momentum Conficit ætatis decursum, an senes potissimum, an iuvenes insimul senatum constituere debeant? Plurimi in senectam declinant ætatem, quippe quæ cum sapientiâ, intelligentiâ, prudentiâque conjuncta est, cui accedit veneranda autoritas, hinc plumbam senis valere, quam gladium juvenis, in communi perhibetur. Nec parum facit ad rem, experientia rerumque multarum usus, cum annorû multitudo sapientiâ doceat; (p) ut igitur novella vitis copiosius gignit vinum, ita plura loquuntur iuvenes, sed utiliora senes, quali utitur simili *Erasm. Roter.* Et Senescentibus vitiis, fervore ac audaciâ ætate sublatâ, consilium indies succrescit; Unde illud: Hasta juvenu, consilia senum. Non tamen decrepitos planè, quèis vigor memoriæ flaccescit, intellectus vacillat, experientiaque in obstinationem convertitur,

(m)
*Tacit. l. 14.
Annal.*

(n)
*Plutarch.
in Lycurg.*

(o)
*Keckerm. l.
1. Pol. 2.*

(p)
Job. 2.

(q)
Petr. Greg.
de Rep.

tur, intelligimus, sed florentes maximè ingenio, judicio, consilio; Adolescentibus tamen multùm æq; tribuendum est, cum primis, qui ad maturitatem annorum pervenere, virilem animum induere, quorum animus firmus, quiq; sibi met ipsis constant, secumq; consistunt; In eâ enim ætate animosi sunt, fortes, laudis gloriæque cupidi, in rebus agendis plus honestatem, quam utilitatem respiciunt, & plurima Reip. commoda promittunt. Uno verbo jungantur juvenes cum senibus, ut illi consilio, (quod senum proprium est) hi prodesse auxilio queant, juvenesque senili regantur prudentiâ. Expediit n. omninò (verba sunt (q) Petr. Greg. de Republ.) juxta annosas arbores plantas inserere novas; quæ post interitum veteriarum in locum earundem succedant.

Statuimus itaque, omnibus bonis dignisque aditum patere ad has dignitates. Eo ipso enim fit, ut omnes Reip. magis ament, plus inter omnes concordia sit, in omnibus magis exciteretur studium virtutis, & denique in quosvis Magistratûs promptiora subditorum obsequia sint. Nec n. ò vult privatus in publicis honoribus constitutos revereri, qui iisdem se aliquando ornandum esse, potest sperare. Inepti verò, nimium juvenes, peregrini ex parte, excluduntur non immeritò, & eadè ratione servi, quia contra Majestatem est, servos Majestatem præferre, eorumque ingenia ad obsequium potius nata: id quod Romani maximè observârunt.

II. Num consultius sit, fixum perpetuumq; in Civitate habere Senatium, an verò mutabilem potius s. ambulatorium?

(r)
Bodin. de
Rep. l. 4. c. 4.

(s)
Dionys. Halic.
l. 4.

Si quæstio accipiatur de universo Senatûs collegio, in negativam descendimus sententiam, quia uti crebra victus cibique mutatio in corporibus hominum non adeò probatur; ita talis vicissitudo civitati parum emolumentum promittit, quin potius ordinis splendorem obfuscat, auctoritatem minuit, positivasque ante leges non rarò evertit, & quæ alia sequuntur detrimenta (r). Nos potius de particulari mutatione aliquid largimur, utpote Consulium, quæ mutatio in nostris locis solennis est, nec suis destituitur rationibus, hæc enim vicissitudo ingenia reprimat fastuosa, nec inebriari nimiam licentiâ sinit, loquor cum Dionys. Halic. (s) habet talis Senatus, quod peragat fideliter, cum de omnibus elapso regimine sibi reddenda ratio sit. Imò subditis longè tolerabilius esse videtur, alium quorannis expectare Consulem, quam uni usque obedire, maximè moroso, largitionibus occupato, proprioque commodo intento. Alia cæteroquin officia, queis secretiora committuntur, utpote Secretariorum, Syndicorum, Notariorumque immutanda vix sunt, ne civitatis arcana publicentur, ejusque salus periclitetur.

ERRATA.

[Quæ per incuriam irrepsere errata, Lector æquo corriget animo, ut cap. 2. §. 4. contennedam pro contendendum. c. 3. §. 2. senaum, pro senatum ibid. & π d'jos, pro v d'jos. &c.]

ULB Halle


3

006 681 980



Handwritten signature or mark






B.I.G.

Farbkarte #13

Black, 3/Color, White, Magenta, Red, Yellow, Green, Cyan, Blue



m Politicarum
rior,

CIVITATIS 24.

n specie
de

ALIBUS

ORIBUS,

am,
LEUCOREA,
NTE NUMINE,
dente
larissimo
IRO

NE FRIDERI
NZELIO,

, Favitore ac Amico
endisimo:

ρων διαλέξει discutiendam
bet

SM. GERLACHIUS,

Misnicus,
Respondens.

ptembr. 1661.

Aud torio Philosoph.



BERGÆ,
DHANNIS HAKEN.

C. LXI.

LXI.

1661, a

1

Handwritten signature

